



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Franciscus Forerius n. 42

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

protegere, & tueri studeatis. Datum Romæ 10. Decembris, 1548. Ita refertur in eadem 1. Par. Histor. Societ. lib. 8. num. 50.

41. AB ABRAHAMO BZOVIO *Sacra Theologia Magistro, scriptoreque sapientissimo in suo Tomo de Romano Pontifice cap. 24. fol. 246. qui fructus vberes, quos in toto orbe fecit Societas, sic describit.* Paulus quoque tertius, Paulus 4. Pius 4. & 5. nec non Gregorius 13. Societatis IESV Patres illo ire iusserunt (ad Indias scilicet occidentales) quo cum penetrasent, parum habuerunt, Christianos qui iam erant excolere, nisi etiam Evangelium latius propagarent, eoque inferrent, quò nunquam antea peruenerat. In Iapone enim sexaginta Regnorum regione, quidquid est Religionis ac fidei, ipsi soli plantaerunt, soli rigauerunt; Deus autem tale incrementum dedit, vt illic centena millia Christianorum censeantur. In Regnum quoque Sinense illud tantum tamque opulentum, vt fidem pene excedat, quod antea clausum à Dæmone tenebatur, illi tamen splendorem Euangelij intulerunt, nihil veriti tam hic, quam alibi periculum capitis, quod plurimi ex eis æque atque Franciscani, Dominicani, & alij adierunt, & in sanguine perfuso sementem Christianorum seuerunt. *Hæc ille.*

Societas Christianos in India excolit.

Et Evangelium ed, quò nunquam peruenerat, intulit.

In Iaponia quidquid est fidei, ipsa plantauit.

Et in Regnum Sinense non sine sanguine penetrauit.

42. A FRANCISCO FORERIO *Scriptore doctissimo, qui Concilio Tridentino interfuit, & in Epistola ad Henricum Cardinalem ante Commentarios suos in Isaiam, Societatis homines appellat, Sanctitate, & doctrina excellentes viros.*

Socij sunt viri sanctitate, ac doctrina excellentes.

43. A LVDOVICO GRANATENSI *Nobili Ecclesiaste, scriptoreque laudato nunquam satis, deque tota Christiana Republica suis voluminibus optime merito: qui è Societatis aduentu ad inchoandum Eborense Collegium magnam hausit animo voluptatem, Cardinali insuper, qui eius opera plurimum utebatur, ea de re tanquam de sua mirifice gratulatus. Amabat enim pro sua benignitate, & magni faciebat hunc nouellum Christi Cætum. Itaque cum vicissim ei Cardinalis mandasset, vt ipsius pro concione consilium de instituendo Collegio significaret; id ille prolixè, nec sine magna Societatis com-*

Societas Cætus Apostolicus.